



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii

Zurmöllen, Heinrich

Neuhusii, 1677

Art. 4. De elocatione

urn:nbn:de:hbz:466:1-9734

mutuario impositum ultra sortem, sive
precisam exigentiam fortis corresponden-
tis mutuo, usuram inducit, estq; ex genere
suo nisi levitas materiæ excuset, peccatum
mortale contra omnes leges, tam divinam
naturalem & positivam, quam humanam,
unde usurarij ab Ecclesia excommunicati
sunt, & ut tales à Sacramentorum partici-
patione & consortio sacrorum Mysterio-
rum separantur, ac sepultura Ecclesiastica
privantur. Et monet Christus *Luc. 6. Be-
nefacite & mutuum date, nihil inde speran-
tes*, est igitur usura peccatum contra iusti-
tiam naturalem, quia lucrum ex alieno,
imo ex eo sæpe quod non est, injuste exi-
git, & ad rapinam spectat, quia publico au-
sufacit.

Articulus Quartus.

De Elocatione.

Locatio sive elocatio est contractus,
quo persona vel res aliqua ad aliquem
usum vel fructum conceditur. Dicitur
(quo persona) potest enim aliquis se ipsum
& operam suam, filios, servos, ac ancillas
eorum-

eorumque operas, in usum, utilitatem, aut fructum, paciscendo de pretio alteri deputare. Dicitur (*vel res aliqua*) sub qua comprehenduntur res tam mobiles quam immobiles, sic enim equi, animalia, instrumenta artis, domus, ad usum elocantur. Dicitur (*pretio*) ut excludatur commodatum, quod gratuitum est: unde qui vestem pretio commodat, non commodare, sed elocare censendus est. Porro iniustitiæ sequentes in elocationibus committi solent.

1. Si locans rei locatæ pretium excedat notabiliter, peccat mortaliter & tenetur ad restitutionem: iniustum autem pretium censetur quod communi æstimatione juxta rerum, temporis, ac loci circumstantias, tale reputatur.
2. Si res, quam conductor ad suum usum vel fructum accepit, sua culpa pereat aut deterior fiat.
3. Qui operam suam pretio addixit, V. G. ad transvehendas merces in aliquem locum, ad agrum colendum &c. si ejus culpa merces pereant, tenetur ad restitutionem. Item si agrum non coluit ordinario operario-

reriorum labore, & opera adhibita, tene-
tur ad damnum compensandum.

4. Si is, qui domum vel rem aliquam, et-
iam famulos alteri locato tradit, non stet
conditionibus locationis, ex quarum de-
fectu locatario damnum emergit: tenetur
ad damnorum compensationem.)

Petes: si superveniat sterilitas agro,
quem elocavi ad culturam, an tenebor Do-
mino, qui mihi elocavit, ad integram solu-
tionem pretij quo elocatus est. R. Si in
contractu nil sit reservatum, ex vi contra-
ctus teneri. Dicitur (*ex vi contractus*) ex
lege enim charitatis etiam obligantis gra-
viter, vel congruentiæ naturalis non cen-
setur obligari.

Articulus Quintus.

De Censibus.

I. **C**ensus est jus percipiendi annuam
pensionem, ex re aliena utili, vel ex
persona alterius. Dicitur (*jus percipiendi
annuam pensionem*) ipsa enim pensio non
est census, sed ista pensio annua consistit in
pecunia, aut in re aliqua mobili, ut tritico,
avena,